

DISPUTATIO LITERARIA, *de emendatione aliquot locorum orationis Tullianae pro M. Caelio Rufo*, quam — ad publ. discept. proponit H. Vollenhoven, J. U. C. Lugd. Bat, apud *Hazenberg et Soc.* MDCCCXXXIX.

Crebra interpretatio monumentorum ingenii Tulliani, quae in scholis Bakii V. Cl. discipulis proponitur, et cura, quam Assenius V. Cons. ponit in alendo apud auditores suos amore Ciceronis, multos incitavit, qui operam suam in illustrandis illis ponerent. Possem longam seriem disputationum, quae paucis his annis ad orationes maxime scriptae sunt, memorare, quarum plerasque recensuit Orellius in Onomastici Tull. P. I; sed optimas satis innotuisse confido, reliquas non multum curo. Major pars versatur in argumenti expositione, rei, de qua agitur, constitutione et quae sunt hujus generis aliis; quas scriptiones tantum abest, ut contemnam, ut plurimum inde praesidii ad accuratam cognitionem peti posse profitear. Hae fere profectae sunt a futuris JCtis, qui, quum literas tantum attigerint, prudenter grammatici et critici partes aliis relinquunt. Earum vero, quae proprie pertinent ad interpretationem grammaticam et verborum *κρίσιν*, scriptores plerumque majorem diligentiae, quam ingenii laudem meruerunt. Ita verum est, quod ajunt, *multos esse thyrsigeros, paucos Bacchos.* In his paucis, qui supra vulgus excellunt,

non ultimum locum tenet scriptor disputationis ad Caelianam, qui quum JCtum se profiteatur et literis humanioribus non totus vacare possit, tam splendidum tamen doctrinae et acuminis specimen edidit, ut valde optandum sit, ne novum munus, quod illis ipsis diebus, quibus haec scribebam, illi commissum est, impedimento sit, quominus Ravii exemplum secutus illam Spartam, quam susceperit, ornare pergat. Sed, quum de Vollenhovii libello referre statuissem, nescio quomodo ad laudandum deflexit mea oratio; quod si quis tamen cupidius, quam verius a me factum esse suspicetur, ille me non novit et fortasse lectis illis, quae sequuntur, aliter judicabit.

Libellus, nitidis typis expressus, decem primis paginis continet accuratam descriptionem quatuor codicum Leidensium, in quibus praeter alia Caeliana legitur, quarumque lectiones ad calcem disputationis (p. 64—69) enotatae sunt. In quo illud incommodum accidit, quod quum singulorum codicum lectiones separatim memorentur, singulas explorare volenti quatuor locis quaerendum est. Codices neque optimae notae sunt, neque plane contemnendi; imprimis B., qui proxime ad codicis Erfurtensis praestantiam accedit, bonas subinde lectiones habet. Nonnullas ex illis, de quibus V. non monuit, infra afferemus.

Observationes (p. 11—63) pertinent ad crisin orationis, in qua etiam post Madvigii et Orellii curas foedae sordes relictae sunt. In illis V., quae sibi vitiosa videbantur, conjectura restituit, rarius locum ex antiquitate attigit, quaestionibus mere grammaticis fere abstinuit.

His praemonitis, potiores emendationes a scriptore propositas ita indicabo, ut quid de illis sentiam, libere dicam, et quasdam suspiciones, quae mihi inter legendum obortae sunt, hac opportunitate depromam.

C. I, § 1, vitiosa interpunctio castigatur. Sed nollem locum in tres periodos divisum esse; post voc. *requirat* plena interpunctione nihil opus est.

2, 4. De collocatione particularum *autem* et *enim* multi monuerunt, inter quos Schaeferus, qui in Praef. ad epist. Plinii, p. XI sqq. nubem exemplorum congessit, ubi *enim* post verbum substantivum tertio loco in sententia collocatur. Quae de hac re disputaverit F. V. Otto in excursu ad dial. de senectute Lips. 1830, non vidi. Nuper vero Madvigius ad Cicer. de Fin. B. et M. I. 13, pag. 96 sq., rem optime expedivit. — *Etenim* contra apud Ciceronem semper praecedit, et loci, ubi postponitur, emendandi sunt vel e codicibus, ut hac orat. 3, 6, ubi quatuor libri Leidenses *enim* dant, et de Senect. 9, 29, vel e conjectura, ut de Repb. I, 2, 3, et de Leg. II, 22, 57. Cf. Madvig. O. A. p. 390 in adnot.

2, 5. *Nemini umquam praesenti Puteolani majores honores habuerunt, quam absenti M. Caelio.* In hoc loco omnes codd. corrupti sunt. *Puteolani* huc venerunt e perversa Aldi conjectura: *absenti* in multis deëst. Quare recte vidit V. locum, ut nunc legitur, interpolatum esse, cui succurrit delendo voc. *praesenti Puteolani* et *absenti.*

Quae leguntur in eadem § *et nostri ordinis et equites Romanos* mihi valde suspecta sunt. Nam quos Cicero, ipse eques Romanus apud judices equestris ordinis vocat *viros nostri ordinis*, — certe non diversi sunt ab equitibus Romanis. Idcirco, quum de senatu h. l. ne cogitari quidem possit, verba illa *equites Romanos* interpretandi causa adjecta esse censeo; quae inter oratoris verba relata, particulas *et — et* necessario attulerunt.

3, 6. Bene vidit V. illis verbis *Equidem — judicio meorum* cursum orationis impediri, et satis inepte hic provocari ad exemplum oratoris ipsius.

Ibid. Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, cet. Grave mendum his verbis inesse ostendit V., nam *crimen* h. l. vix potest diversum esse ab accusatione; et si quis forte defendat *crimen* positum esse pro *culpa* vel *maleficio*, verba nondum expedivit, nisi docuerit quid tum *res* sit. Bakius acute verba sic emendavit: *Accusatio desiderat rem ut definiat, hominem ut notet, argumentum ut probet, testem ut confirmet.*

3, 8. *Qualis es, talem te esse existimes.* Quo consilio orator hoc praeceptum Atratino det, non perspicio. Poterat enim accusator omnino se talem existimare, qualis erat, et tamen aliam personam induere; id quod Cicero nolebat. Quare quum *esse* in Erfurt. et in quatuor Leidd. desit, et *existiment* quod Lambinus dedit e codicibus in Erfurt. et Leid. B legatur, suspicor scriptum fuisse: *qualis es, talem te homines existiment.* Leid. D. habet *extimes al. omnes existiment.*

Ibid. *Etiam si sine ulla suspicione, at non sine argumento.* Transpositio voc. *argumento* et *suspicione*, quam proposuit V., omnino probanda videtur. Ita exsistet sententia similis alteri ex orat. pro S. Rosc. Amer. 20, 55. »Innocens est quispiam: verumtamen, quamquam abest a culpa, suspicione tamen non caret."

4, 10. *Tamen existimetur*, cet. Vollenhovii disputatio pag. 21 non effecit, ut *tamen*, quod omnium fere librorum auctoritate nititur, in *num* mutandum esse concedam. Nam *tamen* aptissimam sententiam praebet et in illa quaestione non conjunctivum, sed indicativi futurum requiro.

5, 11. *Infamiam veram*. Haec Ernestio vitiosa videbantur, cujus judicium strenue defenditur adversus Orellium (p. 23). Bakius e corrupto voc. *veram* eruit *vir*.

7, 15. *In quo non modo crimen non haerebat*. Lamb. pro *non haerebat* edidit *inhaerebat*, ut videtur codices secutus. Negatione sublata, haec esset sententia: »in quo loco non modo accusatio dubia v. impedita erat, sed vix d. ad. oratio cohaerebat." Eundem usum v. *haerere* invenias ad Att. XIII, 39, 2, de Fin. III, 4, 16. Sed vulgata non est sollicitanda, quum et aptam sententiam praebeat, et major inde membrorum concinnitas oriatur. »In quo loco non modo accusatio non diu versata est, non sese jactavit, sed vix oratio accusatoris cohaerebat." Cf. praeter Livium XXXVIII, 49; »*in hoc casu — haerent.*" Cic. de Orat. II, 72, 292; »*ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream.*" —

7, 16. *Tamen est ejusmodi, cupidius ut magis cet.* Ita edidit Weiskius proxime ad ductum scripturae, quae est in codicibus, probante Vollenhovio p. 27 sq.

8, 19. *Ex quo iste fonte senator emanet.* Voc. *iste senator* scriptor interpolatori tribuenda censet.

10, 24. Locum misere corruptum Madvigius inepta et plane gratuita interpolatione liberavit et lacunam indicavit. V. conjicit legi posse: *Titus Cajusque* ** *quibuscum doctrinae vinculo atque humanitatis, tum etiam hospitio Dionis jungebatur.* Satis ingeniose; sed quis in talibus veram Tullii manum praestare possit?

11, 26. Mentio Lupercorum quorsum spectet, bene explicatur pag. 35 sq.

13, 30. *Urgetur.* Nescio, quare haec scriptura omnium codicum — bonorum, malorum, adeo displiceat editoribus, ut Hervagii conj. *versatur* in ejus locum reponant. *Una atque eadem persona* est ablativus qui dicitur, instrumenti: *urgetur* — Caelius.

14, 34. *Qui simulac pedem limine extulerat, omnes prope cives virtute, gloria, dignitate superabat.* Quominus scriptori p. 37 haec verba delenti adsentiar, prohibet codicum consensus, in quibus sine ulla varietate leguntur, et conscientia, quam anceps sit de sobrietate orationis judicium. Si ad hanc normam omnia exiguntur, vereor ne multa resecanda sint, in quibus oratores veteres latius a causa exspatiantur, suoque ingenio liberius indulgent.

15, 36. *Ex hisque tuis.* Prae ceteris arridet conj. Vollenhovii, legentis *ex intimis tuis. Intimus* est vocabulum imprimis Tullianum.

16, 37. Nemo ignorat, multos versus latere in oratione soluta, ad quos detegendos ingenio Bentlejano saepe opus est. Sed editores, colore quodam poetico decepti, interdum nobis versus venditarunt, ubi nulli erant, quod e. g. factum est in proöemio Metam. Apuleji. Ejus generis errorem castigavit Peerlkampius V. Cl. in hac §, cujus observationi, quae p. 39 sq. proponitur, nemo sagacitatis laudem denegabit.

Ibid. *Vix ferendi. Si diceret talis pater — meae: huic tristi cet.* Lenissima hac correctione V. sustulit orationis vulgatae negligentiam.

16, 38. Merito Orellius, qui fide Palempsesti Taurinensis edidit: *Quotusquisque est, qui istam effugere potest in tam maledica civitate?* ob nimiam religionem in retinenda lectione aperte vitiosa reprehenditur, p. 41. Orellius, ceteroquin de Cicerone optime meritus interdum parum considerate codices sequitur, sicut observat Madvigius O. A. pag. 398. Sed ipse hoc sensit, — in novissima editione orationis pro S. Roscio Am. ad § 64 haec scribens: »Numquam ego merum soloecismum librariorum — in Tulliana scripta sciens prudensque inducam."

17, 39. *Et ut hanc.* Leid. D. in his verbis facit cum PT.

18, 42. *Dummodo illa in hoc genere praescriptio moderatioque teneatur.* Nihil praecedit, quo *illa* referri

19, 45. *Genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atque verborum — perspexistis.* Voc. *facultas* sic nude positum pro *dicendi facultate* displicet, praesertim in hac sententiae forma. Legendum censeo: *ingentem orationis facultatem*, cet. Syllaba *in* latet in corruptela vocab. praeced. *eloquiorum*, quae e Leid. A. et C. notatur.

Ibid. *Fieri enim non potest, ut animus libidini deditus — hoc, quidquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verum etiam cogitando possit sustinere.* Sic vulgo editur, quum in omnibus codd. scriptum sit *quoquo modo*, quod certe non ortum est ex errore scribendi. Quare non probo V., vulgatam retinentem adversus acutam Madvigii conjecturam, qui putat in archetypo scriptum fuisse: *quoquo* [*modo facimus, non*] *modo agendo*, cet. Si vero modestiae significatio h. l. non videtur ferenda, sublato v. *facimus*, illa *quoquo modo* ad v. *sustinere* referantur. — Rectissime vero adversus Madvigium monetur *cogitare* h. l. majus esse quam *agere*. Comparari potest locus ex prima orat. in Catil. 3, 7. »Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quin ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam," quem locum ineptis additamentis egregie liberavit idem Madvig., Opusc. p. 141 sqq.

20, 48. *Hic ego iam rem definiam.* Orellius adnotat: = *rem iam*. Herv. Lamb. — Et ita est in Leid. A. B. Corrigo: *rem ipsam*.

20, 50. *Nam aut pudor tuus defendet, nihil a M. Caelio petulantius esse factum, aut impudentia et huic* [*et ceteris magnam ad se*] *defendendum facultatem dabit.* Verba

altero convenit ob orationem concitatam. Librarii illud interdum de suo addiderunt, v. c. in epist. ad Att. III. 19, 3, ubi cod. Mediceus omittit, et IV. 2, 5.

24, 60. *Ne quam vocem ejiciat.* V. merito hanc lectionem commendat prae altera *eliciat.*

27, 64. *Non reperio.* Cod. Erfurt. et Leid. B. confirmant lectionem Hervag. Alii habent *non invenio.* Similis diversitas notatur in Planciana 9, 25, ubi tres optimi libri habent *repperiuntur,* reliqui omnes *inveniuntur.*

27, 65. *Scabilla concrepant.* De scabillis accurate disputatur p. 57 ss. Faunus marmoreus in Museo Florentino manibus crotala pulsat, dextro pede scabillo instat. Böttigerus, in opusculis archaeologicis, quae collegit J. Sillig, V. I. pag. 326 de hoc instrumento quaedam disputavit.

30, 72. *Instituimur* pro vulg. *instruimur* et *usus autem fuit* pro *iis autem* sunt lectiones cod. Leid. B. minimo spernendae.

30, 76. Alliterationis, de qua nonnulla monentur p. 61, plurima exempla congessit Beijerus ad Cic. Lael. 23, 88, et alibi citatam vidi peculiarem disp. Naekii de hoc argumento, insertam Museo Rhenano, III. 3.

Collationes quatuor Mss. Leidensium excipiunt nonnullae emendationes in Caelianam, quas Bakius cum discipulo communicavit. Vel me tacente intelligitur,

Viro Celeberrimo A. de Jorio
n. a.

